

Objicies 2.^o Sumatur urna, in qua decem includantur numeri, successive extrahendi. In prima extractione est probabilitas expressa per fractionem $\frac{1}{10}$, ut exeat certus numerus; in secunda extractione est probabilitas alia expressa per fractionem $\frac{1}{9}$, et ita porro usque ad decimam extractionem, in qua certum est jam, qualis numerus exire debeat. Atqui hic est casus certitudinis exortæ ex probabilitatum summa. Ergo.

Respondeo neg. Minor. Nam certitudo, quæ adest in ultima extractione exprimitur per conclusionem hujus ratiocinii. In hac urna erant inclusi 10 numeri mihi noti. Ex illis extracti sunt novem, quos pariter novi. Ergo cum præter illos novem non sit nisi alius, hic debet tandem egredi. Ut vides, hæc conclusio certa non est, nisi quia fluit ex certis præmissis. Unde transeat, quod in singulis extractionibus ante ultimam non adsit nisi probabilitas, in ultima vero pervenitur ad certitudinem non propter accumulationem illarum probabilitatum, sed propter certitudinem illius ratiocinii, quod institui tunc potest.

60. PROPOSITIO 3.^a Certitudo proportionalis est tum perfectioni subjecti intelligentis, tum motivo cui assensus innititur.

Probatur 1.^o Effectus proportionalis est causæ, a qua progignitur. Sed certitudo est effectus, in quem tum intellectus ipse tum motivum influit.

Quia intellectus ut certo judicet, motivum habere debet, eoque permotus assensum firmum ponit: hujus proinde firmitas etiam in motivum refundenda est.

2.^o Duo consideranda sunt in certitudine; firma adhesio subjecti, seu constantia intellectus in ponendo actu, et ipsa formalis hujus infallibilitas. Et duo hæc proportionem servant cum intellectus perfectione ac fundamentorum robore.

Nam intellectus sive perfectior natura sua, sive excultior studio, meditatione, doctrina, vividius concipit, ac penetrat intimius vim motivorum: unde major sequetur firmitas in intellectibus diversæ perfectionis circa idem ipsum motivum. Deinde in eodem intellectu fortior aut minus fortis est adhesio pro diversitate motivorum. Profecto magis adhæret quilibet

iis, quæ ipse expertus est, quam iis, quæ ex aliorum relatione accipit; et si par sit in utrisque evidentia, magis firmat intellectum ratio fundata in inmutabilibus rerum essentiis, quam in legibus naturalibus, quæ suspensionem in aliquo casu possunt per divinam omnipotentiam subire.

Jam si formalem certitudinem respiciamus, potest actus majorem habere repugnantiam cum falsitate pro majori perfectione intelligentiæ, a qua eliciendus est. Et hoc modo actus supernaturalis, positus ab intellectu adjuto atque elevato supernaturalis luminis illustratione, magis infallibilis est, cæteris paribus, quam actus naturalis. Ex parte autem formalis motivi variam quoque sortitur certitudo infallibilitatem, quandoquidem metaphysicæ certitudinis tanta est repugnantia, ut contrarium contingere absolute non possit; reliquarum vero non tanta, cum physica certitudo deficere per miraculum possit absolute, ac moralis etiam absque miraculo, per summum libertatis abusum, aut per victoriam de aliqua difficultate moraliter insuperabili.

Unde scripsit Angelicus Doctor: *Certitudo nihil aliud est, quam determinatio intellectus ad unum: tanto autem major est certitudo, quanto est fortius, quod determinationem causat* (1).

61. COROLLARIUM. Certitudo fidei supernaturalis quamlibet naturalem certitudinem excedit (2). Rationem sic egregie reddit Eximius Doctor: «Ratio autem proprie sumitur ex altioribus causis, quibus nititur certitudo Fidei. Fundatur enim in prima Veritate, quam fallere vel falli impossibile est, quam naturalem scientiam hominis errare. Item pendet certitudo Fidei ex lumine infuso et divino, quod longe excellentius est, quam lumen naturale intellectus. Hujusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem... Denique quatenus Fides pendet ex voluntate, ut jam dicam, nititur in speciali motione Spiritus Sancti, quæ efficax est ad præstandam excellentiorem certitudinem. Unde etiam fit, ut certitudo Fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta occurrant, quibus homo

Certitudo
Fidei supernaturalis naturalem certitudinem excedit.

(1) 3.^o Dist. 23, quest. 2, a. 2, solut. 3.^a

(2) S. Thom. ib.

satisfacere nesciat, nisi ad Fidem confugiendo, quod est etiam apertum signum majoris certitudinis» (1).

Sed hæc ad Theologos spectant.

62. PROPOSITIO 4.^a Certitudo, licet quoad partem negativam, seu exclusionem formidinis, consistat in indivisibili, quoad partem tamen positivam varios gradus admittit.

Probatur prima pars. Certitudo quoad partem negativam continet totalem dubii ac formidinis exclusionem. Atqui in exclusione totali formidinis non datur graduum varietas. Nam si quævis certitudo, vel infima, totam expellit formidinem, non remanet ulla formido, quæ per aliam majorem certitudinem excutitur (2).

Probatur altera pars. 1.^o ex præcedenti propositione. Quia si certitudo proportionalis est tum perfectioni subjecti intelligentis, tum objecto formali, crescere aut minui certe potest ex alterutro capite. Dari ergo procul dubio possunt in certitudine diversi gradus.

2.^o Præterea idem patet experientia: Quisque enim experitur se non eadem firmitatis et adhesionis intensitate iudicia hæc certa pronuntiare: *Nihil potest simul esse et non esse; Animus humanus est spiritalis; Ignis comburit; Existit Constantinopolis.*

ARTICULUS IV.

Utrum certitudo metaphysica, physica et moralis specie differant inter se.

Status
questionis.

63. Nota 1.^o Ne putes otiosam hanc esse controversiam. Quamvis enim ex postrema præcedentis articuli propositione illud consequatur, tres istas certitudines gradu aliquo inter se differre, nequit tamen illico inferri, illis totidem distinctas species constitui. Non enim omnis graduum diversitas mutat speciem, sed intra eandem speciem varii existere gradus possunt.

(1) Suar., *de Fide*, disp. 6, sect. 3, n. 14.

(2) Cfr. Suar., loc. cit. n. 8.

2.^o Gradus ergo diversos in certitudine nemo negat; negant autem nonnulli esse plures species diversas. Dicunt enim certitudinem omnem veri nominis metaphysicam esse, sive absolutam sive hypotheticam; illam vero, quæ vulgo physica vel moralis audit, nisi reducat ad metaphysicam hypotheticam, propriæ ac strictæ certitudinis dignitatem non pertingere, sed intra limites maximæ dumtaxat probabilitatis contineri (1). Contra istam doctrinam sit

64. PROPOSITIO. Triplex illa certitudo, metaphysica, physica et moralis, specie distinguitur, et una alteri præstat (2).

Probatur. 1.^o Certitudo proportionalis est motivo, cui innititur. Ergo motivo specificè distincto respondere debet distincta specificè certitudo. Atqui motiva certitudinis metaphysicæ, physicæ ac moralis specificè distinguuntur. Ergo...

Probatur subsumpta Minor. Nam motivum assensus metaphysicè certitudinis *essentialiter* connectitur cum enuntiabilis veritate, motivum autem physicæ certitudinis *physicè ac naturaliter*, et moralis *moraliter* dumtaxat. Unde omnes quidem hæ certitudines gaudent necessitate atque oppositi impossibilitate; alia tamen atque alia. Etenim metaphysica certitudo potitur necessitate atque oppositi impossibilitate per quamcumque potentiam, etiam divinam, insuperabili; physica possidet necessitatem insuperabilem pro quacumque virtute naturali, et solum superabilem virtute Dei omnipotentis; ac demum moralis necessitas etiam per creatas vires vinci absolute potest. Quapropter omnes quidem illæ tres certitudines sunt infallibiles, sed solum metaphysica habet infallibilitatem in quocumque ordine et hypothesi, physica vero solum in ordine naturali, et moralis in morali. Quæ causa est, cur sola metaphysica dicatur propriè absoluta, quia omnino ineluctabilis, reliquæ vero

(1) Vide Palmieri, *Logica Critica*, thes. 9.

(2) Certitudinem physicam distinctam a cæteris procul dubio docuit Aquinas, lib. 1. *Periherm.* lect. 14; 1. p. q. 86, a. 4; q. 57, a. 3; 2. q. 105, a. 1; 1.^o *Contra Gent.* cap. 67, *Amplius*; lib. 3, cap. 154, *Non autem per hoc*; *De Verit.* q. 8, art. 12; *De Malo.* q. 16, a. 7; 1.^o dist. 38, q. 1, art. 5.^a; 2.^o dist. 7, q. 2, a. 2; *Compend. Theol.* cap. 136. Quibus in locis S. Thomas scribit posse creatum intellectum certo cognoscere futura, quæ continentur in virtute causarum necessariarum.

dici possint hypotheticæ, quia ut non fallant, debet adimpleri ac supponi hæc conditio, quod nulla facta fuerit exceptio per miraculum in ordine naturali, vel in ordine morali per exercitium potentiæ, quæ adest in ipsa rerum physica natura, licet ob summam rei difficultatem non soleat in actum redigi.

Prob. 2.^o Motiva triplicis hujus certitudinis omnia et singula firmissimum exquirunt assensum, eumque producant intrinsece ac natura sua infallibilem. Atqui assensus firmissimus ac natura sua infallibilis certus procul dubio est. Ergo non solum motiva metaphysica, sed physica etiam et moralia veri nominis pariunt certitudinem.

Probatur prima pars Majoris. Assensum firmissimum ex prudentiæ dictamine postulant illa motiva, quæ omne remouent errandi periculum. Atqui non modo metaphysicum motivum, sed physicum quoque ac morale remouent errandi periculum. Nam periculum non est in sola possibilitate absoluta mali alicujus, sed in probabilitate ac proximitate ejusdem. At ubicumque militat motivum legum physicarum et moralium, nisi adsit specialis aliqua ratio, eaque prudens, suscipiendi exceptionem a generali lege, nullum imminet periculum proximum ac probabile falsitatis. Ergo.

Secus timendum mihi foret, ne flatu oris mei eum cum, quo loquor, interficiam, vel ne panis, quem manduco, in lapidem convertatur, etc.; nam hæc omnia absolutè possibilis sunt.

Probatur secunda pars Majoris. Motivum necessario connexum cum objecti seu enuntiabilis veritate, non potest non eandem connexionem intrinsece necessariam refundere in actum cognitionis, qui ob tale motivum ponitur. Tum quia illud motivum est principium cognitionis; tum quia cum ordo intentionalis sit reproductio ordinis idealis, objectivæ necessitati, si rite proponatur menti, debet etiam in cognitione similis respondere necessitas; tum denique quia etiam necessaria et intrinseca connexio cum veritate, seu intrinseca infallibilitas certitudinis metaphysicæ, quam adversarii unice agnoscere volunt, præcise ex hac motivi necessaria connexionem cum objecti veritate efflorescit. Atqui motiva etiam physica et moralia vere habent necessariam connexionem cum enuntiabilis veritate. Ergo illam communicant actibus. Ac proinde cum

intrinseca connexio actus cum veritate objecti sit illius infallibilitas, sequitur actus cognitionis motivo physico et morali innixos intrinseca præditos esse infallibilitate.

Cæterum quoniam gradus infallibilitatis in actu respondet gradui necessitatis objectivæ, infallibilitas certitudinis metaphysicæ, physicæ, ac moralis specificè distinguatur necesse est, sicut distinguitur necessitas motivorum.

Prob. 3.^o Nisi admittatur certitudo physica a metaphysica distincta, fere numquam sensuum relatio certam præbebit cognitionem; et nisi admittatur moralis certitudo a reliquis duabus distincta, vix ullum factum historicum indubium remanebit. Atqui hæc duo prorsus absurda sunt, et contra communem omnium sensum et experientiam, qua quisque sentit se firmiter adhærere hujusmodi judiciis. Ergo.

Prob. Majorem per partes, et primo quoad physicam certitudinem, haustam ex sensibus. Quia communiter loquendo, non repugnat absolute ac metaphysice in singulis casibus, cum aliquod factum per sensus apprehendo, me falli. Deus enim in singulis casibus posset, absolute loquendo, reali corpore non existente, illius illusionem gignere. Sic Tobia juvenem videre atque audire videbatur, qui nuspiam existerat. Quodque tunc Dominus per suam misericordiam fecit, potest quoque alias facere, quin prius nos de miraculo moneat. Num ergo perpetuis anxietatibus inanique formidine turbari debeamus, cum amicos alloquimur, cum cibos edimus, cum alia sexcenta phænomena experimur? Dic mihi, sodes, an non amentem existimares eum, qui hanc chartam vel librum cernens exclamaret: *Hic probabiliter*, vel si vis *probabilissime, adest coram me charta vel liber?*

Probo similiter alteram Majoris partem de morali certitudine. Nam in singulis factis historicis, saltem plerumque, non est impossibile metaphysice, nec etiam physice, falsum narratum a pluribus testibus, etiam fide dignissimis, fuisse.

Dices. Ad providentiam divinam spectat, ne deceptiones ejusmodi contingant, potissimum si illas homines detegere ac corrigere nequeant.

Respondeo, verum id esse generatim loquendo, non vero de aliquo casu particulari. Neque enim divinæ quidquam detrahitur providentiæ; sed e converso, maxime commenda-

tur potentia et gloria Summi Conditoris, si quandoque ob justas causas altissimæ suæ sapientiæ notas miracula operetur.

Neque necesse est, ut Deus nobis prius declaret, quidnam facturus sit, sed sufficit, ut post factum de miraculo moneat, quemadmodum contigit, cum Archangelus Gabriel specie formosi juvenis tot præstitit beneficia Tobiae. Jam si Deus facere potest, per aliquod miraculum, ut in sensuum relatione decipiatur in aliquo casu, etiam nobis non monitis, ex adversariorum sententia in singulis casibus non possumus habere veram certitudinem, sed magnam solummodo probabilitatem de eventu, qui nobis observari videtur. Timendum enim jure esset, in singulis casibus particularibus ne non tunc præcise per potentiam divinam contingeret exceptio illa absolute possibilis.

Atque idem cum proportionem dici potest de divina providentia circa facta historica.

Itaque cum perspectis adjunctis, nulla occurrit ratio dubitandi de aliqua exceptione miraculosa aut monstrosa in constantia ordinis sive physici sive moralis; licet adhuc metaphysice non repugnaret ejusmodi exceptio, nulla formido rationalis, et non prorsus amens atque sceptica, locum habet, neque ulla etiam suspicio, quippe quæ, ut prudens sit, aliquam saltem levem postulat rationem. Ideoque prudenter supponitur, immo vero prudenter agendo, nequit non supponi, quod nulla detur hic et nunc exceptio in legibus physicis ac moralibus, licet dari absolute potuisset. Hac vero conditione supposita, patet, assensum non posse non esse firmissimum.

Exponitur
relativa
præstantia
prædictarum
trium certitudinum.

65. COROLLARIUM. Vides jam, in quo reponenda sit relativa præstantia atque excellentia triplicis hujus certitudinis. Nam differunt tres prædicti gradus inter se in majori aut minori infallibilitate ac repugnantia cum falsitate, ex parte actus ipsius certi; ex parte vero intellectus in adhæsiōne *apprehensive* majori aut minori, ratione cujus in conflictu trium harum certitudinum deberet physica morali, salvo casu miraculi, utriusque vero metaphysica præferri. Sicut amor Dei appetitive summus dicitur, quia cæterarum omnium rerum amoris præferendus est, ut si aut Deus aut bonum

aliquid creatum deserendum sit, omnium potius facturam facere, quam Deum amittere malimus. Necesse autem non est adhæsiōnem metaphysicæ certitudinis majorem quoque *intensive* esse, quam physicæ aut moralis adhæsiōnem. Intensio namque adhæsiōnis pendet ex majori aut minori evidentia et vivacitate apprehensionis, et crescere aut minui potest etiam in eodem gradu specifico certitudinis, pro majori aut minori attentione cæterisque adjunctis, ac proinde accidentalis est. Sic etiam amor Dei potest *apprehensive* summus esse, licet *intensive* sit minor amore filii, patris vel amici.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

66. *Objicies 1.^o* Certitudo vel est metaphysica vel nulla est. Nam «certitudo tunc solum habetur, cum omnis formido erroris est exclusa; formido autem erroris tunc solum excluditur, cum manifesta est impossibilitas oppositi, sive cum apparet rei necessitas; sive absoluta sive hypothetica. Ergo tunc solum habetur certitudo, cum rei necessitas apparet, sive absoluta sive hypothetica. Atqui tunc obtinet certitudo metaphysica. Ergo vel certitudo metaphysica habetur, vel nulla est certitudo» (1).

Resp. neg. assertum. Probationis primam Minorem *distinguo*: formido tunc solum excluditur, cum manifesta est impossibilitas oppositi, metaphysica vel absoluta, ea nimirum, qua judicetur oppositum hic et nunc per nullam prorsus potentiam fieri posse, *nego*; cum manifesta est impossibilitas saltem physica vel moralis, *conc.*

Simili modo *dist.* primum consequens. Minorem alteram subsumptam *distinguo*: si nomine necessitatis absolutæ et hypotheticæ intelligatur necessitas per quamcumque potentiam ineluctabilis, *conc.* secus, *nego*.

Duplicis generis est hypothetica seu conditionalis necessitas, altera quæ continet hypothesim vel conditionem solum naturaliter inferentem conditionatum: talis est necessitas ignis ad comburendum, si *applicetur combustibile* sufficienter dispositum; sic etiam tormentum bellicum exploditur, si *ignis admoveatur*. Altera est hypothetica necessitas, quæ continet

(1) P. Palmieri, *Logic. Critic.* cap. 1. thes. IX.

hypothesim seu conditionem prorsus ineluctabiliter inferentem conditionatum, dantur enim conditiones metaphysice connexæ cum conditionato. Ita hypothetice ineluctabiliter necessarium est me *sedere*, si et *dum* sedeo: Petrum moveri pariter necesse est, si supponatur quod currat. Et similiter adest in igne necessitas hypothetica ineluctabilis ad comburendum, positis omnibus requisitis, si *Deus non faciat miraculum* derogando legibus physicis et retrahendo suum concursum, his enim omnibus suppositis, nulla est potentia, quæ impedire possit combustionem ignis.

Jam prima illa necessitas hypothetica non est absolute ineluctabilis, nec fundare pròinde potest metaphysicam certitudinem. Altera quidem ineluctabilis est, et fundare potest metaphysicam, semper tamen ita pendentem ex conditionis illius positione, ut si cui non omnino pateat positam illam conditionem esse, ille metaphysicam certitudinem habere non possit. Itaque si cui constaret omnimoda evidentia, hic et nunc non fieri a Deo miraculum, neque exceptionem in legibus physicis, ille haberet certitudinem metaphysicam hic et nunc insuperabilem, quoniam de facto ponitur conditio talis, qua posita, impediri nequeat conditionatum. Communiter autem cum, accurate perpensis omnibus adjunctis, nulla deprehenditur ratio patrândi miraculi, non adest proprie *positiva* et *omnimoda* evidentia de legum physicarum observantia in particulari. Non enim repugnat, dum a me nulla cernitur ratio, vel levem injiciens suspicionem de miraculo, fieri reapse miraculum ob rationes Deo soli compertas, quæ mihi postea patebunt, ut sæpe contigit in miraculis, quæ narrat historiæ. Sed quoniam stultum est et imprudens absque ulla ratione miracula suspicari, ideo in casibus particularibus, cum nulla suppetit ratio suadens suspensionem aliquam in physicis legibus, prudentissime supponitur nullum fieri miraculum: qua posita conditione, adest certitudo de re non tamen absoluta et metaphysica, sed physica et defectibilis per omnipotentiam Dei.

Instabis 1.^o Necessitas absolute superabilis nomen necessitatis non meretur.

Resp. nego assert. Id enim est contra communem modum loquendi omnium. Quam enim, quæso, necessitatem habent

causæ illæ naturales, quæ ab omnibus vocantur necessariae, nisi physicam? Cæterum, ut in probationibus animadvertimus, existimamus necessitatem physice et moraliter insuperabilem, seu impossibilitatem physicam et moralem sufficiens suppeditare certitudinis fundamentum.

Inst. 2.^o Atqui certitudo physica et moralis supponunt necessitatem prorsus hic et nunc ineluctabilem. Nam physice aut moraliter, ut dicunt, certus esse non possum, nisi constet mihi *leges*, sive *physicas* sive *morales*, hic et nunc exceptionem minime passas esse. Atqui si *leges* ejusmodi servatæ sunt, jam omnimoda necessitate verum est enuntiabile. Ergo incassum fingitur, saltem ad praxim quod spectat, necessitas absolute fallibilis.

Resp. dist. Major. Nisi constet id evidentia præcise metaphysica, *nego*; minor, *transeat*.

Et *contradistincta* Minori, *nego* conseq. Etenim metaphysice non repugnat, imo evidenter possibile est, Deum patrare miracula posse, me prius non monito, et in eo ipso momento, in quo ego non possum ullam deprehendere rationem patrândi miraculum. Quis enim tantopere suo fidat ingenio, ut scire se posse existimet, quandonam oporteat, et quandonam non oporteat Deum omnipotentiam suam extra consuetum ordinem eventu aliquo manifestare?

Objicies 2.^o Certitudo esse nequit, ubi non plene dubium omnisque formido non excluditur. Atqui in certitudine physica et morali, prout vulgo admittuntur, nequit omnis formido excludi. Nam cum harum fundamentum absolute deficere possit, semper relinquetur locus formidini, aut saltem suspicioni alicui de opposito.

Resp. nego Minor. Et *distinguo* probationem ejusdem: relinquetur locus formidini aut saltem suspicioni imprudentissimæ, *transeat*, prudenti, *nego*.

Formidare enim aut etiam suspicari de falsitate cognitionis, quando, mature perpensis adjunctis, nulla deprehendi potest ratio exceptionis a legibus constantissimis, non animi prudentis, sed aut insanæ aut absurdæ mentis indicium est.

Instabis. Ut sit vera certitudo, debet excludere etiam imprudentem formidinem. Nam certitudo immobilitatem cognitionis firmæque adhesionis importat. Atqui ubi est locus for-